

Alte Drucke

**MARCELLI || PALINGENII STEL-||lari Poëtæ doctißimi ||
Zodiacus vitæ, || hoc est, || De Hominis vita, studio, ac
mo-||ribus optimè instituendis || ...**

Palingènio Stellato, Marcello

Lugduni, 1559

LIBER IX. SAGITTARIVS.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-154881

Vincētis splendore diē? tristesq; locustas
 In morem nebula nitidum pretexere solem?
 Et teneras auido segetes abrodere morsu?
 Quam multas miseranda fames, miserandaq; pestis
 Ciuibus exuerit, vacuasq; reliquerit vrbes?
 Quot loca diluuijs propē desolata videntur?
 Heu mihi quam iustas de nobis numina pœnas
 Sumunt. nā sceleris quid non cōmittimus? aut quid
 Iustitiæ est vsquam? quis amor cultusq; deorum?

- 10 Religio, aucupium facta est: cœlestia venum
Omnia nunc dantur: violantur sacra prophanis
 Lenonum manibus: tamen hæc spectantq; tacentq;
 Magnifici reges, & Christi prorsus honorem
 Nil curant: sic nos miseros idola gubernant?
 Ergo ibo interea, & Parnasi in rupibus altis
 Donec Musa iterum inbeat me exire, latebo.

LIBER IX.

SAGITTARIVS.



VCRSCIT, iam Musa satis requie-
 uimus antris

Castalijs: agedum plectro, cytharaq;
 resumpta,

Effuge concordēs neruos, solitoq; fauore

- 20 Antiquum cape Diua melos, bona carmina menti
 Sint tibi, quæ quondam blandus dictabat Apollo
 Laurifera in sylua, Permessi ad fluminis vndam.

Nos vocat ecce alius labor, haud inglorius : alta
 De specula, & summo Parnasi vertice, mores
 Spectemus varios hominum, vitamq; notemus.
 Iam medium mea cymba fretum tranauerat, et iam
 Canebant gelidis sylvarum summa pruinis:
 Quis mihi nescio quis Deus adstitit, & procul atra
 Expulit affulgens diuino lumine noctem.
 Tunc scopulum quendam aspexi, qui vertice nubes
 Exuberans, late cælum spectabat apertum:
 Difficilis primo accessu. namq; aspera circum
 Saxa arctam fecere viam, plenamq; laboris,
 Imaq; cinxerunt syluestres vndiq; dumi:
 Mitior in medio: quantumq; accedit ad arces
 Æthereas propius, tanto clementius idem
 Præbet iter surgens, scopuloq; Theorea nomen:
 Illuc me Genius duxit meus. vñq; cacumen
 Venimus ad superum, plana & plena omnia vidi
 Delicijs miris: quas si mea lingua referre
 Nunc velit, antipodas citius sol ibit ad imos,
 Et nox humenti terras velabit amictu.
 Dum moror, & miror latos letosq; sagaci
 Mente locos: vox ecce polo delapsa supremo
 Flecte (inquit) Stellate genu, regemq; precare
 Cælicolum supplex, cuius sine numine frustra
 Carpere delicias scopuli conaberis huius.
 Ergo humilis venerare Deum. fauor omnis ab alto
 Defluit in terras: nihil est mortalibus ægris
 Vtilius, quàm cælestem, sancteq; pieq;

Orando

Orando sibi querere opem, & cognoscere diuos.
 Talibus auditis, facie manibusq; supinis,
 Et genibus flexis, effudit hanc pectore voces:
 Magne pater diuūm, mundi suprema potestas,
 Quo nihil esse potest nec fingi maius, ab omni
 Corporea stans mole procul, tamen omnia fingens
 Corpora, vel prorsus mutari nescia, vel quæ
 Temporis anfractu longo labefacta fatiscunt:
 Principium sine principio, fons vnde bonorum

- 10 Effluit omne genus, natura rector & autor:
 Omnia comprehendens, at non comprehensus ab vllō,
 Maiestas immensa, bonum, sapientia, vita,
 Ordo, decus, finis, mens, verum, lux, via, virtus:
 Nusquā habitās, & vbiq; habitās: immobilis, & dās
 Assiduē motum cunctis: à quo omnia, & in quem
 Omnia, per quem etiam sunt omnia: semper eadem
 Conditione manens, nullo mutabilis æuo:
 Maxima causarum, quæ certa lege reuoluens
 Sydeream molem, fatorum iura gubernas:
- 20 Rex regum, cui mille adsistant, & mille ministrant
 Agmina diuorum, letantum hymnosq; canentum,
 Lucis in immensa campis, extra extrema mundi
 Mœnia, vbi est veris sedes aptissima rebus:
 Te colo, te veneror, te nunc reuerenter adoro,
 Atq; precor supplex, vt me spectare benigno
 Digneris vultu, vocemq; audire precantis.
 Mitte tue lucis radios mihi, pelle tenebras
 Oppresse (heu) nimium moribundo in corpore mētis.

Da rectam reperire viam, ne noxius error,
 Vanaq; credulitas & opinio ceca trahat me
 Precipitem in salebras rerum & contagia vite.
 Nam sine te ingenium mortale, humanaq; virtus,
 Dum se tollere humo sperat (velut Icarus olim
 Disiuncta compage ruit, pennisq; solutis)
 Nec potis est sine te occulti penetralia veri
 Cernere, nec qua parte salus aut arte petatur.
 Largire ergo mihi Rex ô dignissime regum,
 Ut te cognoscam, & placeam tibi: deinde sciam me, 10
 Quid sim, qua in terris causa productus. & unde
 Huc veni, ac tandem quò vita functus abibo:
 Quid mihi dum viuo sit agendum, sitq; cauendum:
 Ut quum finierit Lachesis meâ fila, diesq;
 Vltimus addiderit mēbra hæc exhausta sepulchro,
 Mors fiat mihi grata quies, portusq; salutis.
 His dictis iterum nostras vox impulit aures:
 Placasti æthereum numen, votisq; litasti:
 Esto animo Stellate bono, tibi posse manere
 Hoc datur in scopulo, & cœlestes carpere fructus. 20
 Confestim his dictis tacuit, nilq; addidit ultra.
 Ast ego sensi animo magnum accessisse rigorem,
 Atq; oculis lumen, quo latius omnia cœpi
 Cernere, & antiquum superabam Lyncea visu.
 Mox me sensi etiam vento ad crystallina cœli
 Convexa extolli blandè, sursumq; leuari,
 Alitis in morem. Vulcania tela ferentis,
 Discussura polum tonitru flammisq; coruscis,

Quam

Quandocunq; Iouem mortalia facta laceffunt.
 Iamq; propinquabam lune, portasq; videbam
 Partim auro insignes, partim candore nitentes
 Argenti puri: ingredior visu omnia lustrans.
 Ecce mihi occurrit venienti fortè Timalphes,
 Egregius iuuenis forma, & virtutis honore:
 Quem Ioue diua Arete quondam est enixa parète.
 Hic me quamprimum agnouit (nā matre iubente,
 Multa diuq; aliàs fuerat mecum ipse locutus)

- 10 Vtq; salus dicta est nobis vltroq; citroq;
 Admirans me multa rogat: mox ducit in urbem
 Ingentem, quantam terrarum non habet orbis.
 Mœnia surgebant solido ex adamante, sed ipsa
 Propugnacula erant flammanti extructa pyropo.
 O quæ illic, quanta & quàm pulchra palatia vidi,
 Tempia, theatra, fora, & magnarū strata viarum,
 Cuncta ex argento atq; auro, gemmisq; beatis.
 Longè plura etiam vidi pulcherrima ibidem,
 Singula sed nequeo memorare: & singula quamuis
 20 Possem, dii nolunt memorari singula vulgo.
 Mirabar populū ingentem, innumerosq; per urbem
 Vestibus indutos nuceis incedere ciues,
 Serta quibus comptos cingebant florea crines.
 Lati omnes, manibus gestabant lilia, & hymnos
 Menarchi memores lunaria regna tenentis,
 Guttore dulcisono & concordī voce caneant:
 Menarchū ingemināt, Menarchū carmine laudāt,
 Garrula Menarchum referebat sæpius Echo.

Arcadas hic domuit felici Marte Gigantes,
 Ut mihi tunc retulit fido sermone Timalphes.
 Nang; ait : Arcadium totam sine montibus olim
 Planicie ingenti campos habuisse patentes,
 Terribilesq; illud regnum tenuisse Gigantes,
 Manalon & Pholoën, & amâtem lustra Lyceum,
 Gestantemq; humeris aprorum terga Erymâthum,
 Et flagrantem odijs in cœlicolas Cyllenen:
 Qui primi ante alios natiuo robore freti,
 Turpia sunt ausi conuicia dicere Lunæ:
 Se prius esse illa genitos, & nobiliori
 Stemmata conspicuos, ideoq; in sede locandos
 Ætherea magis, & diuorum nomine dignos.
 Quinetiam insani struxere ad Jydera turrim,
 Maiorem Nemrothe tua : ferroq; recuruo
 Ter sunt conati de cœlo euellere diuam,
 Sanguineam vultu, mortaliaq; arma timentem:
 Ter Menarchus eos multa vi reppulit, & ter
 Expressos nigro Saturni è gramine succos,
 Iniecit miseris, virusq; per ossa cucurrit.
 Obriguere illi extemplò, victiq; dolore
 Informes liquere animas, quas Tartarus imo
 Excepit fundo, cruciandas omne per ærum.
 Corpora sed valido penitus labefacta veneno,
 Membrorum molem in montes vertere superbos,
 Mutataq; suum nomen tenuere figura.
 Vnde huius facti memores tantiq; triumphi,
 Solenni pompa celebrant pia festa quotannis

10

20

Lunæ

Lunicolæ regemq; suum venerantur ouantes.
 Progressi inde arcem petimus, quæ tota nitebat
 Auro gemmarumq; coloribus intertextis:
 Hanc nulli fas est mortali intrare (meus dux
 Inquit) proinde foris stetimus, spatiumq; per amplius
 Ingentis plateæ, diuersa è parte videmus
 Aduentare animas, consistereq; ante tribunal
 E regione arcis positum, et mira arte paratum.
 Illic iura dabant animis, alieq; sedebant,

- 10 Crimina censentes, nec non benefacta notantes.
 Quæ quisq; in terris viuendo gesserat olim,
 Tres Iouis et Doxæ nati, Telescopus, atq;
 Dorophonus, semperq; volēs sibi recta Philorthus.
 Hi merita et culpas æquata lance videbant,
 Arbitrioq; suo paucos ascendere ad astra,
 Innumeros verò ad terram descendere rursus,
 Complures etiam in luna perflare iubebant.
 Obstupui tacito obtutu, tandemq; locutus:
 Dic bone dux mihi quæso, inquā, si tartara in imis
 20 Sunt latebris terræ (ut perhibēt) cætroq; propinquis
 Atq; animas illuc rectas post corporis usum
 Aacus et Minos et terrificus Rhadamanthus
 Iudicat, et meritas pœnas aut premia confert:
 Cur eadem hinc fieri video, repetiq; peracta
 Iudicia, expendiq; iterum mortalia facta?
 Ille autem humanam mentem (respondit) opaco
 Carcere membrorum clausam, ignorantia et error
 Opprimit, et longè oppressam per denia ducit.

Hinc hominū genus in nugas & somnia pronū est.
 Et procul à vero, nisi quis Deus adsit, oberrat.
 Non mirum est igitur, si vestri multa poëta
 Falsa canunt: quoniam paucis via cognita veri est.
 Tu tamen hæc memori mysteria pectore habeto:
 Omne quod est supra Lunam, eternumq; bonumq;
 Esse scias, nec triste aliquid cælestia tangit:
 Quicquid verò infra lunæ conuexa creauit
 Omniparens natura, malum est, mortisq; seueras
 Perpetitur leges, & edaci absimitur euo. 10
 Hæc loca disiungit medius lunæ orbis, utriq;
 Mundo interiectus, cæli consinia seruans.
 Ergo vbi terrenos artus liquere, feruntur
 Huc omnes animæ, atq; ipsis commissa fatentur
 Iudicibus: quorum iussu, loca certa, suisq;
 Moribus apta petunt, & habēt sua premia in illis.
 Quanto quæq; magis vitiorum sæce grauata est,
 Tanto etiam magis ad centri loca turbida tendit.
 Contrā, quo melior quæq; est ac purior, hoc se
 Altius attollit, summoq; propinquius orbi. 20
 At quibus equa boni est animis mensura, maliq;
 Hic remanent, habitantq; diu lunaria regna:
 Donec post multos longæui temporis annos,
 Aut lapsæ in vitium rursus terrena reuisant,
 Aut bene purgatæ ethereas mittantur ad arces.
 Hæc ait, asl ego tunc: Cur tam paucæ ardua (dixi)
 Astra petunt animæ, & summo potiūtur Olympo?
 Cur sic in vitium prone labuntur, & ipsam

Vir

Virtutem fugiunt misere, luciꝑ; tenebras
 Preponunt? cur fœda magis, quàm pura sequuntur?
 Vnde illis tantus furor, & tam ceca voluntas?
 Tunc ita respondit nobis Areteus heros:
 Et cupio, & fas est tibi me recludere multa,
 Iudice te pulchra, & scitu dignissima, quando
 Non te huc aduenisse reor sine numine diuùm,
 Et diui hæc te scire volunt, ad limina quorum
 Nemo venire potest viuus, nisi reclus ab illis.

- 10 Ergo audi, & quæcunq; loquar, fac mente reponas.
 Sed prius hinc opus præretium est secedere paulum.
 Iuimus, atq; alta in specula consedimus ambo,
 Vnde maris terræq; orbem spectare licebat.
 Tunc has diuino deprompsit pectore voces:
 Esse malè per se nequeunt, nec sponte suapte
 In vitium tendunt animæ, quarum æthere ab alto
 Est genus, & quarum diuino è semine origo est:
 Nec praua esse potest per se natura animarum,
 Quas Deus ipse creat, quo nil autore mali sit.
- 20 Sed sunt quedam aliæ causæ, quæ in tartara ceca
 Detrudunt miseras, & multò crimine fœdant.
 In primis vero corpus nam carceris instar
 Est animæ, quam dum membrorum nexibus arctè
 Implicat, æthereæ mentis suffocat acumen,
 Haud secus ac intus positam vas fictile flammam,
 Et nebule nitidum obducunt Hyperionis orbem.
 Tunc anima ipsa subit cunctarum obliuia rerum,
 Tunc bibit infernam lethen, raseq; tabella

Efficitur similis, quam dextera nulla notauit.
 Ergo ita captiuā, & moribūdo in carcere clausam,
 Mille quidem illudunt pestes, mille vndiq; monstra
 Oppugnant, quāq; arte valent euertere tentant.
 Qualis viminea dum fortē quiescit acanthis
 In cauea, mulcens vario sua fata canore:
 Ad quam prorepat summissimo corpore fallax
 Alurus, miseramq; infestans vndiq; terret:
 Venator murum alurus, volucrumq; peremptor.
 Illa autem metuens rabiem prædonis, in omnes 10
 Obuolitat partes, ac se fugiando tuetur.
 Interea alter adest hostis, similisq; furor
 Attonitam infestat, donec per latius æquo
 Vnguibus immixta pressam extrahit intervallum,
 Et solito extractam mandens cum murmure glutit.
 Talis diuerso hinc illinc vrgetur ab hoste
 Infelix anima, & fugiens hæc retia, in illa
 Incidit, humano dum corpore clausa tenetur.
 Nescit enim quid agat, quò se retrahat'ue ferat'ue,
 Et decepta boni specie velut ebria mutat. 20
 Vnde nisi auxilio monitoris, & arte docentis
 Paulatim in lucem è tenebris ducatur opacis,
 Deteriora petit semper, meliora refutans.
 Prima igitur labes anime, & contagio prima,
 Præcipuumq; malum, quod culpa corporis illi
 Euenit, est veri atq; boni ignorantia, de qua
 Iudicium falsum exoritur: quæ maxima pestis
 Humano est generi, de qua duo monstra creantur

Stult

Stultitia atq; scelus: sed ab his mala cuncta duobus
 Proveniunt, quæcunq; homines patiuntur agunt ve.
 Quippe omnes peccat, vel quod bona falsa sequuntur
 Stultitia monstrante viam: vel quod scelus illis
 Immittit stimulos, quibus in facta impia aguntur.
 Propterea rectè aut stultus dici, aut sceleratus
 Ille potest, quisquis peccat ratione relicta.

Verum in parte animæ quæ concupit, ipsa resedit
 Stultitia: atq; illic habitans tentoria ficit:

- 10 In parte autem alia quæ irascitur, est scelus, armis
 Terribile atq; dolis & lethiferis aconitis.

Hi duo sunt reges magni, & magna agmina ducunt,
 A tergo, humanumq; genus populatur uterq;.

Ambo etenim veri expertes, falsoq; creati
 Iudicio (ut dictum est) animas in carne sepultas,
 Naturæq; suæ immemores, ac lucis egentes,
 In tria stagna erebi & mortis ducuntq; trahuntq;,
 Quorum vnum fertur limosum, illiq; Voluptas
 Presidet: ast aliud spinosum dicitur, in quo

- 20 Regnat Avaritia, & lucrandi effræna cupido:

At reliquo est nomen fumoso, cuius habet ius
 Imperiumq; tenet sitibunda Superbia honoris.

In tribus his stagnis animarum maxima toto
 Turba perit mundo, hæc illis immensa ruina est:

Nam quæcunq; vndis merguntur talibus illas
 Perdit amor carnis, fugitiuorumq; bonorum:
 Nec se vltra agnoscunt, cæliq; obliuia potant,
 Vsq; adeo, ut vitam præterquam corporis vllam

Esse

Esse negent, seseq; aboleri in funere creda ut.
 Ouiles crassasq; animas, & ab aethere prorsus
 Auerfas, nil egregium & sublime putantes,
 Sed pecudum more in terras tantum afficientes.
 Sunt & causa alia, propter quas efficiuntur
 Praeua animae, unde malis multis iure afficiuntur.
 Namq; ubi densantur nubes, pluuieq; creantur,
 Et venti horrifono concursu fulgura gignunt.
 Illic pravorum sedes est demoniorum:

Quorum opera sunt pestes, insanaq; bella,
 Et tempestates, terra pelagoq; furentes. 10
 Horum astu, suasu, hortatu, impulsuq; doloq;
 Turba ignara hominum ruit in turpissima quaeque
 Flagitia: hinc recti, hinc obliuiscuntur honesti.
 Sed quoniam tentatores & demones istos
 Perversos, paucis concessum est posse videre,
 Pauci idè credunt vsquam reperirier illos:
 Imò aliud nihil esse putant, quàm nomen inane
 Pleriq; ac veluti aegrotorum insomnia rident.
 Tu tamen hunc abs te errorem propelle, meisq; 20
 Crede, fidemq; adhibe (nam sunt verissima) dictis.
 Utq; scias melius nullas me fingere nugas,
 Iamiam oculis faxo proprijs tute omnia cernes.
 Sed prius hîc tentare opus est Thaumantida votis,
 Quae mandata solet Iunonis ferre per auras,
 Dissipet ut vento nubes, caelumq; serenet,
 Impediat ne te spectantem turbidus aer.
 Ergo Irin supplex tali sum voce precatui:

Iri

Iri decus cæli, vario spectanda colore,
 Quæ nube ingentem roranti porrigis arcum,
 Aduersoq; sinu radiantis lumina Phæbi
 Excipis, absorptasq; ad nubila conuehis undas:
 Iri hominum stupor, & Iunonis nuntia magnæ,
 Thaumantis verè proles miranda vetustis,
 Redde precor nobis pulsa caligine clarum
 Ethera, et Aeolio imbriferos pulcherrima claude
 Carcere diua nothos, proq; his permitte serenos

- 10 Stellantis cæli Borean percurrere campos,
 Continuo his dictis septem de parte trionis
 Emicuit Boreas, & siccis flatibus omnem
 Aëra purgavit latè, purumq; reliquit.
 Post hæc nescio quo irrorans mea lumina succo,
 Dux meus : aspice, ait, iam mundi arcana videbis.
 Pandite nunc vestros fontes, vestra antra, sorores,
 Quæ iuga lauriferi Parnasi excelsa tenetis,
 Et mihi (nāq; opus est) date cœnū i carmina linguas,
 Vt possim aëreos reges populosq; referre,
 20 Ludificatores hominum, scelerumq; magistros,
 Qui assidue vexant mortalia cuncta, sui q;
 Artibus humanas tradunt in tartara mentes.
 Hic ubi puniceo coniux Tithonia curru
 Oceano emergit primum, primumq; nitecit,
 Nocturnas abigens rubicunda luce tenebras,
 Ingentem vidi regem, ingentiq; sedentem
 In solio, crines flammanti stemmate cinctum,
 Pectus & os illi turgens, oculiq; micantes,

Alia

Alta supercilia, erectus similisq; minanti
 Vultus erat, late nares, duo cornua lata,
 Ipse niger totus : quando nigra corpora pravis
 Demonibus natura dedit, turpesq; figuras,
 Dens tamen albus erat, sanne alba utrinq; patet,
 Ala humeris magna, quales respertilionum
 Membranis contextæ amplius, pes amplius uterq;
 Sed qualem fluuiialis anas, qualem ve sonorus
 Anser habere solet : referebat cauda leonem.
 Nudus erat, longis sed opertus corpora villis. 10
 Multa illi adstabat turba, innumerusq; satelles.
 Circum aderant longè lateq; quot agmina Xerxem
 Non habuisse puto, peteret cum Marte Pelascos,
 Infelix, vix inde fuga rediturus inermi.
 Quisq; suis vncum manibus, follemq; tenebat:
 Folle quidem ut capita inflarent, ventoq; replerent
 Illorum quibus aut magnas fortuna dedisset
 Diuitias : vel quos doctrina, robore, forma,
 Nobilitate, alijs multis præstare viderent.
 Vnco autem, ut quos implessent petulantibus auris 20
 Iam satis atq; super, fumosa in stagna tumentes
 Pertraherent, prædam ranis colubrisq; futuros,
 Atq; alijs habitant illo quæ gurgite monstis.
 Regi huic (quem dixi) nomen fuit, estq; Typhurgo:
 Sic etenim aiebat declarans cuncta meus dux.
 Post hac occiduas qua Titan vergit in undas,
 Et prono curru extremis impendet Iberis,
 Sollicitam direxi aciem, similemq; priori.

Prof

- Prospexi regem, sublimi in sede locatum,
 Aplesto cui nomen erat: populosq; regebat.
 Spirituum innumeros, solis quoscunq; cadentis
 Fert regio, atq; plagis quicunq; morantur in illis.
 Dipsada quisq; manu demon gestabat, & vncum.
 Tūc Iouis atq; Aretes natus: Viden', inquit, vt ipsos
 Quisq; suum irritent angues, digitisq; laceessant?
 Vt morsu grauiore petant, grauiore veneno
 Inficiant terrenorum hominum vilissima corda?
 10 Nam qui pestiferi lāduntur vulnere dentis,
 Amittunt mentem miseri, & cælestia prorsus
 Despiciunt: tantaq; siti vexantur, vt vnquam
 Expleri nequeant frustra; bibendo labore.
 Dumq; ita nequicquam semper sitiuntq; bibuntq;
 Immemores mortis, sortis, cæliq; suiq;
 Ecce adsunt diris armati demones vncis,
 Abripiuntq; illos, & adhuc sitientia figunt
 Guttura, spinosi stagni mergenda sub vndas.
 Illic innumeris pœnis plectuntur & illic
 20 Plurima mōstra latent: præsertim plurima hircō,
 Morsibus asiduis quorum noctesq; diesq;
 Intolerabiliter cruciati, deniq; reddunt
 Quem viuendo alijs olim extraxere cruorem.
 Nec tales minuunt longissima secula pœnas.
 Ergo hic rex facit, & punit quos fecit auaros.
 His dictis conuertit oculos ac frigida mundi
 Sydera, quā geminam noster polus aspicit arcton,
 Et sua semper agit circumsarraca Bootes.

Illic.

Illic regem alium video, innumerasq; malorum
 Spirituum turbas, aquilonia regna colentes,
 Gestantesq; hamos manibus. tunc dux meus inquit:
 Rex hic, qui gelidis Boreæ dominatur in oris,
 Luxuriæ atq; gulæ est princeps, idemq; Philocreus
 Nomen habet, non fraude alijs neq; viribus impar:
 O quantum noxæ cecis mortalibus affert.

Nanq; hamis quos ipse vides, dulcem inserit escam,
 Infectam tamen occulto stygiôq; veneno,
 Hîsq; capi iubet insulsos, stagniq; lutosi

10

In vada nigra trahi captos, & gurgite mergi.
 Qui mox mutati in brutorum corpora, sunt
 Porci, asini, tauri, vulpes, vrsiq; lupiq;
 Atq; alia, humana quæ sunt expertia mentis.
 Nec satis hoc, respis, crabronibus, & scarabæis,
 Torquentur miseri assidue, quæ plurima in illis
 Obuolitant ripis animalia, ibiq; morantur.

Talibus oblectant placantq; Philocrea pænis,
 Gaudia quæ carnis, spreta virtute, sequuntur.
 Hæc ait. ast ego, quæ vertex declinior austrum,
 Nubiferumq; notum gignit, genitumq; per oras
 Angusferæ Lybies, spatia in contraria mittit,
 Prospiciens visu intento, quanta agmina cerno,
 Et quantos passim conuentus demoniorum,
 Hinc atq; hinc nigris alis per inane volantum.

20

Rex erat in medio magnus, magnaq; corona
 Insignis, qui torua acie, vultuq; maligno,
 Vibrabat stridens linguam patulo ore trifulcam,
 Vipe

- Vipereum in morem, & virus sanieq; vomebat:*
Qualem murena coluber stimulatus amore,
Gaudia coniugij metuens temerare veneno,
Effundit summo in scopulo, effusamq; reponit
Cantibus in rigidis, mox saltu precipitem se
Deijcit in medias sinuosi fluminis undas,
Sibilaq; ingeminans charam vestigat amicam:
Ille sono audito, confestim occurrit amanti,
Multipliciq; ambo coniungunt corpora nexu,
 10 *Ast ubi iam Veneris tandem est expleta voluptas,*
Emergit letus coluber, pestemq; relictam
In scopulo repetit prudens, suaq; arma requirit:
Que si amota videt, vel proculcata, dolore
Afficitur tanto, vt mærens vitamq; perosus,
Terq; quaterq; caput saxis illidat acutis,
Donec animam morte & curas simul exuat omnes.
Iste igitur rex talis erat, talesq; videbam
Esse suos populos: plerunque est regis imago
Vulgi, & ad mores accedere principis optat.
 20 *Dextra erat ipsorum fallaci armata dolone,*
Liuidaq; ora, atrii dentes, spumosaq; labra.
Regē hūc inuidiæ esse patrē dominumq; Timalphes
Aiebat referens, ipsumq; Miasthora dici
Quo instigante sui mortalia corda ministri
Tartareis implent spumis, tunc improba pestis
Diffundens sese totos contaminat artus:
Præsertimq; oculos angit, ne prospera ferre
Alterius possint, intabescantq; videndo.

Postremò infixis per terga dolonibus, agras
 Extrudunt animas, triplici quas gutture mandit
 Cerberus, & mansas aconita in tristia vertit:
 Corpora scorpiones fiunt, & acumine caudæ
 Quamvis blanda illis videantur brachia ledunt.
 Sed tu iam medias contemplare aëris oras,
 Sarcotheonq; vide: qui rex est primus, & idem
 Pessimus. hunc alij reges metuuntq; coluntq;
 Huic seruit quicquid tenet orbis demoniorum,
 A quo ceu quodam centro genus omne malorum 10
 Emicat, ut radij solis de corpore manant.
 Aspexi hunc igitur, seuum horribilemq;, superbo
 Extantem solio, scelerataq; sceptrā tenentem.
 Sanguinea crista huic surgunt, & cornua septem
 Erecta, & totidem ingentes referentia turres.
 Auribus atque oculis lucent & naribus ignes,
 Oraq; fumosas euoluunt grandia flammās.
 Heu quot habet secum comites, quantasq; phalāges
 Instructas telis & bombiferis tormentis
 Iste tyrannus agit: tanquam perfingere cælum 20
 Vellet, & ætherea superos depellere ab aula.
 Tunc mihi ductor ait: fuit hic pulcherrimus olim,
 Supremoq; Ioui charissimus: at mala mentis
 Conditio, & letis cognata superbia rebus,
 Attulit exitium misero. par nanque volebat
 Esse Deo, cupiens equalem sedis honorem.
 Proinde relegari meruit: iussusq; Michaël
 Constituit certos illi inter nubila fines.

Sæpe tamen priscae laudis, veterumq; bonorum
 Non oblitus adhuc, & spe delusus inani,
 Bella mouet superis, cælumq; irrumpere tentat.
 Hinc fragor, hinc tonitrus, metuendaq; fulmina fiunt.
 Horrificiq; ignes nigranti nube coruscant:
 Terrentur pecudes, humanaq; corda tremiscunt.
 Sed furit incassum, & vexat labor irritus illum,
 Nec potis est vltra æthereos intrare penates:
 Quiq; prius lucis lator, diciq; solebat

- 10 Lucifer, est nunc noctis amans, gaudetq; vagari
 Per noctem, lemures secum & phantasmata ducēs:
 Perq; diem interdum, quoties committere querit
 Armatas nebulonum acies, & sternere cæsis
 Corporibus campos: vel quum crudelia nautis
 Fata parat, miseratq; vndis operire carinas:
 Aut quum græde aliud tētat scelus. ille etenim tunc
 In lucem prodit, sed clām: mittitq; latenter
 Ad loca certa suos famulos, qui corda malorum
 Instigant hominum, furisq; audacibus implent:
- 20 Et taciti inspirant mentem, non voce loquuntur.
 Ast ego: quæso (inquā) mi dux, iam demones istos
 Mittamus, resq; humanas tandem aspiciamus.
 Nanq; hac de specula facile est terramq; fretumq;
 Cernere: non leuiter nos hac spectacula inuabunt.
 Cœpimus ergo ambo mortalia contemplari.
 Mirabar primum vario distincta colore
 Corpora. nam media gens est quæ proxima Zone,
 Nigra erat, & crassis labris, crispisq; capillis,

Et nuda, aut simæ corio malè tecta capellæ.
 Quæ verò gelidis Boreæ reperitur in oris,
 Vincebat candore nives, & frigora longis
 Vestibus ac multò vix defendebat amictu.
 Hanc illamq; inter gentem quicumq; morantur
 Innumeri populi, nigro tinguntur & albo,
 Sed magis atq; minus : quanta est distantia solis.
 Talia dum stultè admiror : quid sruola curas?
 Quid vanos spectas humana in carne colores?
 Dux meus inquit, erit melius perpendere mores, 10
 Atq; animorum habitus varios, operumq; figuras.
 Ex quibus agnosces, meq; ostendente videbis.
 Quæ sit vita hominū, & quantū chaos erret in illa.
 Principiò tibi finge manum, quæ pollue cælum
 Aspiciat, passis digitis : & pollice in ipso
 Pone hominū genus illorū, quibus optima mens est,
 Qui res humanas spernunt, diuinaq; tantum
 Mirantur, quibus in primis sapientia cordi est,
 Qui contemplari naturam atq; æthera gaudent,
 Innocui, mites, iustumq; piūq; colentes, 20
 Quos neq; diuitiæ capiunt, neq; turpia carnis
 Gaudia, nec tumidi splendor titillat honoris.
 Cælestes homines, humano in corpore diui,
 Rari adedò, perfectæ etenim sunt omnia rara,
 O vtinam talem te Iupiter esse iuberet.
 Proximus huic digito est index, vbi ponere oportet:
 Prudētes homines: genus hoc est quippe secundum,
 Essiq; bonum, tamen in terras declinæ, regendis

vrbib;

- Urbibus ac populis aptum, rebusq; gerendis,
 Iustitiam colit atque fidem, moresq; pudicos,
 Non tamen exutum est terreno prorsus amore.
 Cui si quando Deus rerum permittit habenas,
 Imperijq; decus, tunc aurea secula fiunt,
 Tunc floret virtus, terrasq; Astrea reuifit,
 Pax viget, & vitium duris cohibetur habenis.
 Post sequitur medius digitus, qui infamis habetur:
 In qua sede aliud genus est tibi constituendum,
 10 Illorum, quibus est magnæ solertia mentis,
 Ingenijq; vigor, nec non vis magna loquendi:
 Sed prauis sunt, iniusti, vitijq; referti,
 In terras curui, nunquam æthera suspicientes,
 Astuti in primis, falsoq; in pectore vulpem
 Gestantes, turbamq; ignaram decipientes.
 Cumq; odio virtutē habeant, cum numina temnant,
 Se simulant iustos tamen ac virtutis amantes,
 Proq; albis nigra & pro nigris alba loquuntur.
 Omnia vel lucri faciunt vel laudis amore,
 20 Nec nisi præsentem vitam sperantue timētue.
 Hi sunt qui semper prudentibus aduersantur,
 Armatiq; dolis, confidentesq; fauori,
 (Quem sibi seruitio turpi vel munere blando
 Conciliare solent) sanctis conatibus obstant
 Prudentum, & nubem veris rationibus obdunt:
 Quæ si non prosunt artes, tunc res agitur vi,
 Utuntur ferro, flammis, atroq; veneno:
 Lædere si nequeunt furtim, grassantur aperte,

Ergo his militibus, sese ac sua regna tuetur
 Ipse malus dæmon, tali se robore fulcit,
 Tali præsidio terram sibi subiicit omnem.
 Nam longè plures sunt, & longè asperiores
 Astuti, quàm prudentes, ideoq; reportant.
 Palmam plerunq; & victa probitate triumphant.
 Qui quum sceptra tenent, & præsumt vrbibus, etas
 Ferrea regreditur, mauortia bella resurgunt:
 Iustitiam & leges vincit furor, omnia demum
 Bacchantur vitia impune, & iacet obruta virtus. 10
 Hoc hominum genere est nullum sceleratius inter
 Mortales, nec cælicolis odiosius vllum est.
 Proxima stultorum est sedes, quartoq; locari
 In digito debet. stultorum maxima turba est:
 Quis nescit? gaudet stultis natura creandis.
 Ut malus atque vrticis & vilibus herbis.
 Hi sunt obtuso ingenio, crassoq; cerebro,
 Et nihili pendunt animi bona. solaq; ventris
 Et Veneris pecudum ritu oblectamina quarunt,
 Quos bipedes asinos ipsi mille artibus atque 20
 Insijs capiunt astuti, plurima eisdem
 Persuadere solent iniusta & falsa, suaq;
 Eloquio quocunque volunt ducuntq; trahuntq;.
 Credula quandoquidem est stultorum, ceu puerorum
 Turba: sed in vitium magis. hæret opinio semper
 Illis deterior, quibus est quoque deterior mens.
 Hinc est quod stulti astutorum, quàm prudentum
 Promptius auscultant dictis, & credere malunt:

Quipp

Quippe ferunt praua astuti, & plerunque dolosa
consilia, & vitium pulchro sub cortice velant.

Sed licet in multis astuti ludificentur

Hos quos dixi asinos, tamen vna superstitionis

Est facilisq; via, & cunctis iam cognita seclis,

Qua astuti in primis vtuntur. nanque deorum

Addicunt sese templis, ac sacra ministrant:

Tunc implent vrgentq; metu insulsissima corda

Stultorum, terrentq; minis, nisi numina placent

10 Muneribus, redimantq; datis sua crimina nummis:

Quos ipsi mox accipiunt, quibus & sua sepe

Scorta sacerdotes casti, mulasq; saginant.

Nempe sacerdotum qualis sit vita, modusq;

Fallendi stultos, quis non videt? attamen ipsi

Hec impune licent: tanta est clementia regum,

Duntaxat ludo, ventri, Veneriq; vacantum.

Hec quoque dii faciles tolerant, paruiq; videntur

Pendere, qua sua sacra manu, quo pectore fiant:

Quo probro in terris, quoue afficiantur honore.

20 Sed redeo ad stultos: quos quando extollit, & alto

Collocat in solio, cupiens Fortuna iocari:

O quot stultitjs tunc omnia plena videbis.

Quas memorare nimis longu foret. improbitas tunc

Exultat, virtusq; mouet contempta cachinnum.

Tum choreis lautisq; epulis, varijsq; vacatur

Ludis atque iocis, tum scurrarum ac meretricum

Agmina cernuntur passim, tunc sola voluptas

Turpis & insipiens, tota dominatur in vrbe.

Qualis enim rex est, talis quoque subditus illi
 Esse solet populus, studijsq; tenetur eisdem.
 Non est sola tamen stultis cognata voluptas:
 Ita frequens etiam quatit illos, pronus in iram
 Stultorum est animus, facîle excandescit, & audet
 Omne scelus, quoties concepta bile tumescit,
 Tunc ferri sceleratus amor, rixeq; cruenta
 Surgunt, & gelida dant plurima corpora morti.
 Ergo ferum genus hoc hominû est, valdeq; cavendû.
 Vltimus est digitus minimus, quo sepius aures 10
 Scalpuntur, diciq; ideo solet auricularis:
 Hic locus est insanorum, qui mente videntur
 Exuti, quibus est vsus rationis ademptus.
 Quorum si nunquam cesset furor, expedit illos
 Oppetere, & tatum moriendo relinquere morbum.
 Ergo hominû duo sunt genera, & nò plura, bonorû:
 Cetera, nam mala sunt, vitato sedulus: aut si
 Non vitare potes, saltem irritare caueto:
 Nam furit atque ferit, sauisima bellua vulgus.
 Postquam sic fita est proles Areteia: nunquid 20
 A vitijs (inquam) possunt ad honesta vocari
 Officia, astuti & stulti? an via nulla medendi est
 Criminibus? vel si qua via est, edissere que sit.
 Tali autem mihi tunc respondit voce Timalphes:
 Natura vt multos humano in corpore morbos
 Ingenuit, sic multa animo mala contulit agro,
 Atque suos parti vtrique est largita labores.
 Aspice quanto hominû genus amplectatur amore,
 Oppor-

Oppor-

Opportuna tamen medicamina multa creauit:
 Quod nisi fecisset, nimis iracunda fuisset,
 Ergo eadem nocuit, quæ profuit: utq; nocendo
 Ingeniosa fuit, fuit ingeniosa medendo:
 Vt dubites, matérne, an sit dicenda nouerca.
 Sed nûc mittamus morbos & phârmaça, quæ sunt
 Corporis, ista patent iam multis edita libris:
 Deq; animo, ut melius quæ me paulò antè rogasti
 Percipias, quantum res postulat ipsa, loquamur.

- 10 Principiò, ut iussu naturæ rustica tellus,
 Vrticas tribulosq; & vilia gramina gignit,
 Ni cultura frequens adsit, multoq; labore
 Ingratas rastris ac vomere dissipet herbas:
 Nec satis hoc, opus est etiam bona semina ibidem
 Spargere, & assidua sparsis insistere cura:
 Sic animus, dum corporeo stat carcere vinctus,
 Horrescit densis vitiorum sentibus, & sit
 Penè ferus, nisi prudenti cultore iuuetur,
 Qui vitia expungat, virtutesq; inserat aptè.
- 20 Sed quæ sit cultura animi fortasse requiris.
 Est sophia, est inquam sophia: hanc intellige, mores
 Quæ docet, atque probos homines facit, & viuendi
 Rectè monstrat iter mortalibus, ut pietatem
 Iustitiamq; colant suadens, & crimina vitent.
 Sola hæc nimirum sophia & sapientia vera est:
 Non ea, cui passim medici vafriq; cuculli
 Temporibus nostris incumbunt nocte dieq;
 Quærentes rerum abstrusas euoluere causas,

Naturæq; intus latitantis pandere claustra,
 Materiam primam, vacuumq;, ac mille Chimeras
 Inflatibus buccis ructantes, vt videantur
 Docti, & rugosas distendant are crumenas.
 O bellam sophiam, cuius studiosa iuuentus
 Aut inhiat lucro, aut sterili ambitione tumescit:
 Sed nil candidior, sed nil moratior exit.
 Non hæc est cultrix animi, & sapientia dici
 Iure nequit: potiusq; vocanda scientia, si non
 Ambiguos veri calles decepta relinquit.
 Ergo hanc qui didicit, scit, non sapit: atq; scientis
 Nomen habere potest forsân, sed non sapientis.
 Hæc duo sunt etenim spatijs disuncta reductis,
 Suntq; operum diuersorum. sapientia fructum
 Producit vitæ, fert ipsa scientia florem:
 Prodest illa, sed hæc ornat: considerat illa
 Quæ sunt intra hominẽ, hæc circa exteriora vagatur:
 Illa pium ac iustum, hæc doctum facit atq; disertum.
 Proinde animi cultrix sola est sapientia, mores
 Quæ docet, vt dixi. hæc etenim vitia omnia vellit: 20
 Virtutesq; serit, quas cœlesti irrigat imbro.
 O humani generis lux, ô via vera salutis,
 Præsidium, portus, solamen, regula vitæ,
 O pax & medicina animi, ô venerabile asylum,
 Suauior ac potior sapientia nectare: quis te:
 Quis te nũc amat, aut sequitur? tibi qs locº, aut quis
 Est honor in terris? quondam regnare solebas
 In templis, in porticibusq;, & gymnasus, &

Concil

*Concilijs, regumq; aulis: nunc cognita nulli es,
Sed pro te regnant nuge, & mera somnia ratum,
Quid nunc in ludis pueri, imprudensq; iuuentus
Discit? fabellas turpes, vel prorsus inanes.*

Ecce sedens aliè præceptor, codice aperto

*Excreat: & postquam circum spectauit hiantes,
Arrectasq; aures tironum, voce sonanti*

Aut tragicas laruas, aut comica scorta referre

Incipit, aut veterum insanos effudit amores,

10 *Aut quod mōstrosum et sæuū & plorabile narrat.*

O caput elleboro dignum: sic pectora pura

Imbuis? & rerum ignaros hac fruge saginas?

Hoc sale conditur tenera ac petulantior etas?

Non pudet his nugis absumere turpiter æuū?

Hinc tot vbiq; vides prauos, tot vbiq; scelestos,

Hinc & tanta seges vitiorum crescit vbiq;e,

Quando nulla animis cultura adhibetur honesta.

O corruptores, non cultores puerorum:

Discite vos prius, inde alijs ostendite rectam

20 *Viuenti formam, & sanctos inducite mores,*

Ne pecudum ritu vitam ducatis inertem.

Tu verò Stellate audi: te nanque docebo,

Et paucis, qua animus tibi sit ratione colendus.

In primis vnum esse Deum meditare frequenter,

Immēsum, eternū, summū, optimū, et omnipotentem:

Qui cælum, & toto fulgentia sydera cælo,

Ceteraq; aut oculis apta, aut non apta videri,

Ex nihilo, nutu solo, sine tempore fecit,

Facta

Factaq; perpetuo studio seruatq; regitq;
 Hunc venerare, time, cole, lauda, & sæpe precare,
 Nocte dieq; oritur cum sol, cumq; occidit, & cum
 Aequali spatio meta disunctus vtraque est.
 Nam prima est virtus, prima est sapientia, regem
 Cœlicolũ patremq; hominum cognoscere, amare,
 Synceroq; animo laudare, timere, precari.
 Hoc sine virtutes alias nihil esse putato:
 Hoc verò solum penè est satis. ergo teneto
 Corde ac mente Deum sæpè, & sæpe ore vocato: 10
 Hac pietate potest tibi nil contingere maius.
 Hec ad virtutes alias est ianua, quippe
 Diuino nequeunt prorsus sine numine haberi
 Virtutes aliæ. & nequeunt vitia ipsa caueri.
 Præterea ciues cœli, angelicasq; cohortes,
 Et summi regis famulos, sanctosq; ministros
 Diuinæ maiestatis iussa efficientes,
 Adstantesq; illi fœliciter omne per æuum
 Aetheris in campis puri semperq; sereni:
 Sæpe pijs precibus supplexq; orare memento, 20
 Vt tibi præsto adsint, & sua pericula pellant,
 Dignenturq; Deo te commendare. profecto
 Possunt, atque solent multum prodesse roganti
 Angelicæ mentes, humanaq; vota secundant.
 Nec sis tu è numero illorum (caue queso) putant qui
 Nil melius naturam homine, ac nil dignius vsquam
 Finxisse, insani: cum tot terraq; mariq;
 Viuere conspiciant animalia, in æthere credunt
 Stellar

10

20

Stellar

Stellarumq; globis nullos habitare colonos,
 Et deserta poli censent spatia ampla beati.
 O curuas animas, ô pectora plena tenebris.
 Percipere humani sensus non omnia possunt:
 Plurima sunt quæ oculos fallunt, sed mēte videntur.
 Vnde acies mentis potius ratioq; sequenda est,
 Quæ docet esse deos, cælumq; habitari, ergo
 Aut stellæ dū sunt, aut lucida templa deorum:
 His fundamentis iactis, amplectere deinde

- 10 *Iustitiam* : & per te nulli vnquam iniuria fiat,
 Sed verbis alijs'ue modis fuge lædere quenquam.
 Quodq; tibi nollis, alijs fecisse caueto:
 Quodq; tibi velles, alijs præstare studeto.
 Hec est naturæ lex optima : quam nisi ad vnguem
 Seruabis, non ipse Deo (mihi crede) placebis,
 Postq; obitum infelix non aurea sydera adibis,
 Alterius famam vel honorem tangere, vel rem
 Inuidia, aut ira, aut suadente cupidine, noli:
 Imo iuua, quos esse bonos intelligis, omni.
- 20 *Sedulitate* : malisq; interdum gratificare,
 Quod tibi vel nūquam noceant, vel parcius obsint.
 Nec te à iustitia retrahant mala munera, amorue
 Aut odium, namq; hæc tria sunt, quæ lumina mentis
 Præstringunt, rectoq; homines à limite trudent.
 Sed memor esto. Dei semper, mortisq; futura.
 Post hæc illecebras omnes fuge corporis, atq;
 Erena voluptati durissima pane : voluptas
 Improba perniciem ingentem mortalibus affert.

Nik

Nil magis aduersum est virtuti, tendere sursum
Nititur assidue cognata ad sidera virtus:
Contra inimica polo, semper petit ima voluptas.
Et pecudum in morem despectat cornua terram,
Suffocans animi vires & corporis: unde
Ignauos facit & morbos inducit amaros.
Hæc illa est Circe, hæc Syren, hic hamus iniqui
Demonis: hoc laqueo innumeros capit, et phibet ne
Post mortem patrij redeant ad limina cæli,
Callidus & secum tenebris includit auernis. 10
Has ergo insidias, hoc blandum & dulce venenum
Hostis tartarei, quantum potes aufuge cautus:
Ne te pæniteat frustra, cum serior ætas
Sentiet ingenium, famam, rem, membra perisse
Exiguo mellis gustu, & dulcedine inani.
Tunc etenim, vt multi, dices: ô tempora pulchra
Quàm male vos noui, quò fugistis? miserum me:
Si mihi nunc reddat pueriles Iupiter annos,
Et liceat Samios iterum contingere ramos,
Pergam illuc dextro quò tendit littera cornu: 20
Sit licet angustus limes, perq; ardua surgat.
Est melius virtute nihil, quæ permanet omni
Tempore, quæ laudem tribuit, largitur honorem,
Censum auget, vitam seruat, post funera durat.
At me infælicem decepti blanda voluptas,
Quæ iam pridem abiit, meq; inter damna reliquit.
Nanq; ego dum iuuenis meretricia lustra frequento,
Dñ ventri & somno & ludo sum deditus amens,
Discer

Discere nil volui, studium librosq; perosus,
 Contempsiq; bonas artes : nunc (heu) video me
 Indoctum, infamem, sine nummis, corpore fracto,
 Mente hebeti, sensu obtuso : vixi haecenus, vt qui
 Dum stertit, vigilare tamen se credit, & errat.
 Talia ab ignavis iactari verba frequenter
 Consuerunt : vbi iam mortis vicina senectus
 Expendit sero male ductam examine vitam.

Maxima pars pecore amisso praesepia claudit:

- 10 Tumq; sapit, quum calua retro fortuna recessit:
 Et medicum querit, quum spes est nulla salutis.
 O miseri : dum tempus adest, cognoscite tempus.
 Nam fugit hora leuis, nec scit fugitiua reuerti.
 Nil lacrymae & gemitus defuncto corpore prosunt,
 Vtilis est medicina sua quae tempore venit,
 Quare tunc opus est, quum florere incipit aetas,
 Virtutem amplecti : tunc rectum carpere oportet
 Viuendi callem, & studijs incumbere honestis:
 Tunc est vtendum ratione, animusq; regendus
- 20 Consilio, dum mollis adhuc, ne fortè malarum
 Melle voluptatum captus, petat ania praeceps.
 Qui sapit, hic sapiat citò : nam sapientia sera
 Proxima stultitiae est, fertq; importuna dolorem,
 Deplorans frustra graue & irreparabile damnum.
 Est tibi praeterea sitis improba diuitiarum
 Omnino, & scelerata auri vitanda cupido:
 Nanq; vbi auaritia est, habitant firmè omnia ibidè
 Flagitia, impietas, periuria, furta, rapina,

Fraud

Amz.
 ha.
 543.

Fraudes atq; doli, insidiaq; & prodiones,
 Iurgia, & infande cades. quid singula narrem?
 Deniq; sordidius nil est, nil peius auaro:
 Qui totus terre immersus, ceu talpa, cupit nil,
 Nil amat agnosce aliud, quàm munera terræ:
 Propter quæ solet omne scelus patrare, Deumq;
 Nullum alium præter nummum, vesanus adorat.
 Nec videt infelix, quàm sit fragilisq; brevisq;
 Vita hominū, & quā mors cōtracto semper ab arcu
 Excutiat gelidas humana in corda sagittas, 19
 Nec iuueni parcat, nec docto, nec locupleti,
 Sed quodcumq; caput nullo discrimine pulset:
 Sæpe etiam propius tunc sit, quum longius esse
 Creditur, & subitus ferat improvisa tumultus.
 At tu diuitias terrenas, & bona cæcæ
 Subiecta imperio fortis, nec pendere magni,
 Nec multum curare velis. nam propria cuiquam
 Non ea sunt, quæ pro arbitrio largitur & aufert
 Instabilis Fortuna suo: vel morte recedunt,
 Diuersos dominos permutatura vicissim. 20
 Sunt alia inquirenda tibi bona, sunt potiores
 Diuitia cupiende, omni quæ tempore durant:
 In quas nec morti, nec sorti est vlla potestas.
 Has cumulare tibi studeas noctesq; diesq;
 Nam verè tunc diues eris, vereq; beatus.
 Cætera quæ vulgus demens miratur & optat,
 Si tibi sint, nummi, fundus, domus & pecus: illis
 Utere, (quī prohibet:) iustè tamen atq; modèstè:
 Numq;

Quumq; potes, miserere inopu, et ne despice egenos.
Hoc pacto acquires laudem, eternamq; salutem,
Et pro terrenis caelestia munera habebis.

Non homo, sed lupus est, quē non clementia tangit,
Qui non alterius miseranda sorte mouetur,
Qui negat auxilium socio prestare roganti.

At si pauper eris patienter sustine, & equo
Pectore pauperiem tolera: magis ille finistris
Casibus afficitur, plus curarum atq; laborum

10 Perpetitur, qui plura tenet, cui plura dedit fors:

Deprimiturq; adeo rerum grauitate suarum,
Vt contempturi nunquam caelestia possit.

Esse leuem & vacuum terrena facis oportet
Illum, qui aethereas animo vult tendere ad arces.

Nam quo quisq; magis terram petit, hoc magis alto
Abstrahitur caelo, supera q; a luce recedit.

Atq; vbi quisq; suos thesauros possidet, illic
Assidue cor habet, semper conuoluitur illic.

Est igitur multis paupertas utilis, illos

20 Exonerans, vt ad astra volent leuioribus aliis.

Sed tibi non minus est vitanda superbia, mater

Rixae odq; vrbes studia in contraria scindens, / *Superbia*

Excidiumq; ferens multis. hac peste laborans

Olim Roma ruit, ciuili oppressa furore.

Hoc fuge tartareum monstrum, si quæris amicus

Esse Dei, & tandem caelo post fata potiri.

Nemo superbus amat superos, nec amatur ab illis:

Vult humiles Deus, ac mites: habitatq; libenter

*Manuetos animos, procul ambitione remotos:
 Inflatos verò ac ventosos deprimit idem,
 Nec patitur secum puro consistere olympo.
 Ergo vtres tumidi, quid vestra superbia vobis?
 Quid tituli illustres, præclaraq; nomina profunt?
 Que citò mors rapit, & lethæas mergit in undas.
 Laudari à vulgo cupitis, vulgoq; placere:
 Dicite, iudicij quid habet plebecula veri?
 Vos putat esse Deos, quid tum? cùm sitis aselli
 Humana exterius tantum apparente figura? 10
 Fallitis ignaros homines, non fallitis ipsos
 Cælicos: imò his risum stomachumq; mouetis.
 Nam vestros mores, occultaq; crimina norunt.
 Sed vos, ô cæci, diuos nihil esse putatis?
 Nec superesse animas, extincto corpore vestras
 Creditis, atq; ideo presentis commoda vitæ
 Optatis tantum, deridetisq; futuram.
 Quàm multæ pecudes humano in corpore viuunt.
 Hinc vestri erroris causa est, vestraq; ruina,
 Quòd nil crassa acie nisi corpora crassa videtis: 20
 Nec veras res, sed rerum cognoscitis umbras.
 Maxima pars fumo gaudet, fumoq; repletur.
 Stulti quid fumo est lenius? quid inanius? aut quid
 Ridiculū magis esse potest, quàm querere honorem
 Immeritum, & causas veri contemnere honoris?
 Aspicimus prauos, indoctos, mentis egentes,
 Sublimi in solio positos, dominarier illis
 Qui se sunt longè meliores, & quibus ipsi*

Deber

Deberent seruire magis. nempe improba ludit
 Rebus in humanis Fortuna, & lege sine ulla
 Omnia confundit, plerumq; ad sydera tollens
 Ignauos seruos, pistrino & carcere dignos.
 At si sana foret, solis sapientibus orbem,
 Vt decet, vt par est, committeret ipsa regendum,
 Cuncta etenim recte fierent, legesq; vigerent:
 Sacraq; tractarent puri innocuiq; ministri,
 Et dysse sinerent mortali luce videri.

- 10 Sed personatus gaudet temeraria mimis.
 Fert tamen ista Deus summus, qui talia posset
 Corrigere: & cur nos etiam non ista feramus?
 Quid prodest verum firma ratione tueri,
 Et nil proficere, atq; odium sibi querere frustra?
 Spernitur, ac damnum patitur sapientia: cui non
 Respondent vires, quam nulla potentia fulcit.
 Vnde tacere quidem prestat: tu despice laudes
 Insulas vulgi, & fortune munera cæcæ:
 Atq; Deo studeas omni virtute placere.

- 20 Post cineres est verus honos, est gloria vera,
 Quæ datur astrifero in cælo, iustisq; pijsq;
 Tunc mites humilesq; suo letantur honore.
 Ast stygia mæsti lacrymant in valle superbi.
 Postremo compesce iram, parit ira furorem,
 Turpia verba furor, verbis ex turpibus exit
 Rixa, ex hac oritur vulnus, de vulnere lethum.
 Ira aded mentem confundit: vt ebria bile
 Feruenti, nequeat dignoscere quid sit agendum:

18 Ira.

*Iudiciūq; expers plerunq; per auia tendat.
 Mox dolor atq; pudor facta inconsulta sequuntur.
 Ergo caue hanc, animūq; rege, & te vince, ferendo
 Fortiter : egregia est etenim Patientia virtus:
 Qua quicunq; caret, careat probitate necesse est,
 Sitq; ferus, semper rixas & iurgia semper
 Exercens, propria est nimirum rixa ferarum,
 Pax verò tranquilla decet mortalia corda.
 Vir bonus & sapiens querit super omnia pacem,
 Vultq; minora pati, metuens grauiora, cauetq; 10
 Ne paruo ex igni scelerata incendia surgant.
 Qui nil ferre potest, hominum commercia vitet,
 Et solus degat syluis aut montibus altis.
 Qui verò humanos cœtus vrbesq; frequentat,
 Discat multa pati, frenisq; coërceat iram,
 Dissimulans conceptam arcano in pectore bilem
 Nec facîle, atq; leui de causa, abrumpere pacis
 Vincla velit, quantumq; potest ignoscat amicis,
 Vt possit quam alijs veniam dedit, ipse mereri.
 Pauca hæc de cultura animi dicenda putavi, 20
 Sufficiuntq; satis. potuisssem his addere plura:
 Sed cui sunt hæc pauca, illi non cetera deerunt:
 Aduenietq; vltro, quæcunq; videntur omissa.
 Nam comprehenduntur tacite, & clauduntur in istis.
 Attamen interea sapientum incumbere libris
 Est operæpretium, & reram perquirere causas,
 Deniq; doctrinis varijs componere mentem:
 Quippe animus sine doctrina est ignauus hebesq;.*

Hoc

Hoc igitur pacto (vt dictum est) florescere possunt
 Virtute ac meritis stulti astutiq; colentes
 Sese animumq; suum, & cœlesti sede potiri.
 Talia dum memorat ductor meus: ecce deorum
 Nuntius, Atlantusq; nepos, Ioue missus ab ipso,
 Astitit, atq; iubet supera ad conuexa Timalphem
 Ire citum. nanq; aiebat dudum esse vocatos
 Cœlicolas omnes, Iouis ad recta aurea summi,
 Velleq; de rebus grauib; nonnulla referre

- 10 Momum, virū quosdā monachos in colle manentes
 Extra urbem, cuius prope mœnia labitur atq;
 Intrat in Adriacas piscosus Ariminus undas,
 Diuitijs deceat priuari, & partibus illis
 Quas auferre solet cristatis villica gallis:
 Cum sint lasciui nimium, nimiumq; superbi.
 Et spernant omnes, & turpia multa licenter
 Committant, senis exemplo, qui præsidet illis.
 Prò pudor: hos tolerare potest ecclesia porcos,
 Duntaxat ventri, veneri, somnoq; vacantes?

- 20 Quo audito confestum abiens Aretetus heros,
 Mercurio me commendat: qui ad tartarus iurus,
 Plutoni secreta patris mandata ferebat.
 Hic comprehensum arctè tenuit me, & nubila vexit
 Per media in terras. quo Thuscus tempore Clemēs
 Intra Eelsineos habitans cum Casare muros,
 Florentinam urbem longa obsidione premebat.
 Ergo Athlantiades, quatiens talaribus auras,
 Peruenit tandem sancti ad prærupta Marini

*Saxa, & stelliferum ferientes æthera rupes.
Inde breui lapsu, posuit me in pinguibus agris
Verruculi, mox infernas properauit ad oras.*

LIBER X. CAPRICORNVS.



*ALVE Athlantiade: sigia de valle
redisti
Tam citò? dic queso: quid nam Pluto-
nis in aula*

*Nunc agitur? Fit rixa ingens, ingensq; tumultus.
Cur hoc? Dicam equidem, quanquã festino reuertì
Ad superos: tanta est Turcarum, Christicolumq;
Ac Iudeorum turba illic, vt locus illam
Non capiat, vacui nihil est, sunt omnia plena, 10
Vestibulum plenum, plena atria, regia plena,
Tèpla, domus, plateæ, fora, mœnia, deniq; tota vrbs,
Et campi, & colles, & frondifera conualles,
Vsq; adeò vt sese impellant, trudentq; vicissim,
Calcibus & pugnis & morsibus aspra gerentes
Prelia: nam ferro nequeunt decernere manes,
Nec fas est illis iterum succumbere morti.
Vix potui transire, & Ditis limina adire,
Per densas umbrarum acies, cuneosq; coactos,
Fit via vi: irrumpens aditus, arctissima laxo 20
Agmina, disijciens crebrò huius verberare virgæ.
Tandem peruenio ad nigri penetralia Regis.*

Quem